

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7060

Autre(s) référence(s) : Round 276

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : hommes établis sur les turcies de la Loire [autre]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1173]

Lieu d'émission : Les Prés de Saint-Florent

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Concession de privilèges aux hommes établis sur les turcies de la Loire.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCLXXVI, t. 1, p. 509-511.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 276.

Dissertation critique

« 1156 – 1172-1173 » : la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 510. Cet acte, qui ne porte pas la formule *Dei gratia*, est antérieur à 1172-1173 ; Henri II ayant passé l'année 1155 en Angleterre, la date de lieu d'une localité française ne peut pas être antérieure à 1156.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, episcopo Andegavensi et omnibus hominibus et fidelibus suis totius Andegavie et Turonie, salutem.

Sciatis quod ego, in honore sancte et individue Trinitatis et gloriose virginis Marie, pro salute anime mee et parentum meorum, tam futurorum quam preteritorum, precibus episcoporum, abbatum, canonicorum, baronum, militum, tursias hospitari feci. Et primo quia ego ipse vidi et comperi dolores et dampna que Ligeris in Valeia faciebat, propter hoc, tanquam pietate commotus, de exercitu et de equitatu quietavi eos qui super tursias manserint, nisi sub nomine belli eos mandavero. Si autem contigerit quod ego vel heres meus post me, qui dominus erit Andegavie, eos mandaverit, omnes communiter ad unum vexillum veniant, et dum comes Andegavie in exercitu fuerit, interim, consideratione ministrorum meorum qui tursias custodierint, ad opus tursiarum, ubi necessarium fuerit, laborent. Et propter hoc donum quod feceram, scire volui quanta beneficia hominibus suis attribuerent illi

qui de Valea bona accipiebant ; ipsi vero in presentia mea concesserunt quod omnes sui qui manere solebant inter viam Andegavensem et Ligerim ad tursias venirent, exceptis militibus et servientibus feodatis, et omnes quieti sint de toto bienno (sic) et de toto prandio consuetudinario. Illi vero qui terragia et decimas ferre solebant pro consuetudine ubicunque domini eorum volebant, ad grangias dominorum suorum tantummodo et non ultra infra Valeiam in garbis aducant. Et si agricola circa mane terragiatorem submonuerit, usque ad meridiem eum expectet ; et si venire noluerit, terragium vel decimam data fide in illo campo dimittat ; et si circa meridiem eum submonuerit, usque ad vesperam eum expectet ; et si venire noluerit, terragium vel decimam in eodem campo data fide dimittat. Et quicumque, sive in Valeia vel extra Valeam manserit, de hominibus tursiarum clamorem fecerit, domini eorum super tursias eos ad rectum habeant ; et si domini eorum eos justiciare noluerint, ministri mei qui tursias custodierint super tursias de illis rectum faciant. Preterea omnibus illis qui super tursias manserint communiter concessum est quod sint quieti versus dominos suos ab omnibus collectis, exceptis tribus ratione dispositis, videlicet quando filium suum primogenitum militem fecerit, vel quando filiam suam primogenitam maritaverit, vel pro ipsorum dominorum redemptione. Et si quid de rebus mobilibus super tursias inter se emerint vel vendiderint, nulla costuma inde reddatur. Mercator vero extraneus de merce illa quam ab eis emerit suam costumam plane et legitime reddat. Ex hac vero institutione, unde maxima commoda sequuntur, institutum est eis ut unusquisque de domo sua in qua obtinebit masnagium duos denarios de censu domino suo annuatim reddat, et domini eorum qui census habuerint illis quorum terra fuerit excambium reddant. Et si aliqui servi super tursias manserint, domini eorum non capiant ab eis aliquid amplius nisi suos quatuor denarios de capitagio eorum, quamdiu super tursias manserint.

Testibus : F. abbate Sancti Florencii, A. abbate de Burgulio, Johanne subdecano Sancti Martini de Restiniaco, Guillermo de Montsorel et Willermo filio suo, Jocelino Roonard, Ulgerio de Insula, Americo Savarici, Americo de Averrs, Hugone de Cleers ; et de curia regis: Willermo comite de Arundel, et Ricardo de Humetis constabulario, et Stephano de Turonis camerario regis.

Apud prata Sancti Florentii in Valea.